



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.13. Felicis Urgelitani Retractatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII. cis, toties etiam multi a Religione Chri-  
 A. C. 799. stiana deficiebant.

## §. XIII.

*Felicis Urgelitani Retractatio.*

*Fel. Conf. fid.*  
*Alcui. adv.*  
*Elip. lib. 1.*  
*init.*

Carolus eo tempore, quo Paderbornæ anno 799. versabatur, Leidrado Archiepiscopo Lugdunensi, Nefrido Archiepiscopo Narbonensi, Benedicto Abbate Anianensi, & pluribus aliis tum Episcopis tum Abbatibus Urgellam missis, Felici persuadere conatus est, ut errore dimisso, Ecclesiæ judicio se subjiceret. Praesules Urgellam pervenientes eidem memorant, quid in Concilio eodem anno Romæ habito actum fuisset, ipsiusque Epistolam ad Alcuinum fuisse damnatam, invitant, ut in conspectum Regis veniret, & pollicentur, ipsi liberum fore, Textus Patrum, quos opinioni suæ faventes crederet, producere. Ceterum hic Convencus Urgelitanus Conciliorum numero accenseri posset, & verisimile est, ideo ibi congregatos fuisse Patres, ut in iisdem locis, in quibus scandalum natum erat, etiam repararetur. Archiepiscopus vero Narbonensis, qui intererat, illius Provinciae Metropolitae fuit.

Felix eo flecti se passus est, ut veniret Aquisgranum, ubi Rex Carolus hinc maverat hoc anno septingentesimo nonagesimo nono, quo etiam annus Regni eius

ejus trigessimus secundus inchoabatur. Sæcul. VIII.  
 Congregantur Optimates & Episcopi Re- A. C. 799.  
 ge præsentē. Felix liberrime sua argu-  
 menta ab Auctoritate Patrum deducta  
 producit, oppugnant disputantem Epis-  
 copi & sola ratione sine ulla vi adhibita  
 erroris convincunt. Dedit victas ma-  
 nus Felix, & errorem damnavit. Quia  
 vero sæpius relapsus fuerat, ab Episcopa-  
 tu depositus & Lugdunum relegatus  
 est, ubi reliquos vitæ dies transegit. De-  
 dit litteras, in quibus Hæresim detesta-  
 batur, ad modum Epistolæ ad Clericos  
 suos & populum Urgelitanum directæ.  
 In ea dicit se olim Episcopum, & narrat,  
 quæ in Concilio Aquisgranensi acta sint,  
 seque convictum fuisse Auctoritate Pa-  
 trum, præsertim S. Cyrilli, S. Gregorii,  
 & S. Leonis, sibi antea incognitorum. I-  
 tem Auctoritate Concilii, contra Episto-  
 lam suam ad Alcuinum datam Caroli Re-  
 gis jussu Romæ habiti. Deinde profite-  
 tur, quod ex toto corde ad sinum Eccle-  
 siæ Universalis redierit, & quod erroris  
 sui pœniteat. Promittit præterea, se  
 non amplius crediturum, nec docturum,  
 Jesum Christum secundum Carnem esse  
 Filium Dei adoptivum seu nuncupative,  
 sed tam in una quam in altera Natura  
 esse verum & unicum Dei Filium. Hor-  
 tatur Ecclesiam suam, ut hanc Doctrin-  
 am cum Ecclesia Universali credat, pro

De-  
 to. 7. Conc. p.  
 1858. Et ap.  
 Alcu. p. 998.

Sæcul. VIII. se oret, & scandalum, cujus causa ipse  
A. C. 799. fuisset, tollat. Sub finem addit longum  
 Textum ex Nestorio, & ad eum confu-  
 tandum Patres citat.

*Ap. Alcu.*  
*p. 995.*

Sub idem tempus scriptam fuisse ar-  
 bitrantur Epistolam Elipandi ad Felicem  
 datam, dum eum adhucdum in errore pri-  
 stino perseverare credit. Conviciis ple-  
 na est in Beatum & Alcuinum & in his  
 solum notari meretur, quod stilus sit bar-  
 barus, & lingua latina corruptissima, unde  
 videlicet linguæ vulgaris Hispanica  
 principiaprehenduntur. Et ob æta-  
 tem Elipandi, dicentis, se vigesima quin-  
 ta Julii annum octogesimum secundum  
 agere incepisse. Itaque eum natum fuisse  
 se oportet illo ferme tempore, quo Ara-  
 bes Hispaniam invaserunt.

§. XIV.

*In facinus Paschalis & Campuli in-  
 quiritur.*

*Anast.* Interim Leo Papa Romam revertetur  
 comitantibus Archiepiscopis, Episcopis,  
 Comitibus; atque in omnibus Civita-  
 tibus, ad quas divertebat, iisdem  
 honoris signis, ac si S. Petrus advenisset,  
 excipiebatur. Romam pervenit in Vi-  
 gilia S. Andreae vigesima nona Nov. eo-  
 dem anno 799. tuncque omnium homi-  
 num Ordines, Clerici, Senatus, Milites,  
 Populus, Mulieres, Diaconissæ quoque  
 &